

LXXXII.

R. 2164 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 104. f. per duas columnas luculente, nitideque scriptus, et coloribus illustratus *Evangeliarium* est, praemisso cuiusvis Evangelistae Argumento illo historico, quod vulgo in *Bibliis glossatis* habetur. In prioribus III. *Evangelii* ad passionem Domini monuit Miniator in margine: *Non legitur*; in Missis videlicet de Tempore, aut de Sanctis per annum. Id ipsum monuit etiam ridicule ad memorata Argumenta historica. In fronte cujusvis Evangelii aderat Icon picturata Scriptoris. Arrisit *Marcus* et *Johannes* maleferiato cuidam, cujus impias forfices integrae membranae secutae sunt. Mallet quis exfectum *Lucam*, quem aevi ruditas, ut *Apin Aegyptiorum*, capite vitulino radiato repraesentavit.

LXXXIII.

R. 355 Codex chartaceus flav. lingua literali, Sec. XVI. Folior. 356. fol. max. literis cyrillicis luculentis elegantissime perscriptus, auroque et coloribus splendidus *Evangeliarium* est e Graeco, ut solet, conversum. Evangelista quivis praemissum habet *Lectionum Elenchum*, et *Theophylacti Bulgaror.* Archiep. Praefationem pariter e Graeco traductam, *Matthaeus*que orditur fol. 7. *Marcus* fol. 101. *Lucas* fol. 165. *Johannes* demum fol. 267. Ante *Lucam* Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

fol. 164. p. 2. docemur: Codicem hunc argento ornatum et oblatum fuisse Monasterio *Xiropotamiensi* SS. XL. Martyribus *Sebasteni* dicato a *Petro Moldaviae* Principe *Stephani* filio anno O. C. 7043. 21. Nov. id quod anno Chr. 1535. et 1. Dec. respondet. Additur *Αναθεμα* pro hoc et altero Seculo in eum, qui Librum abstulisset, aut argento spoliasset. Interim tamen argentum *δixεται*. Fol. 339. succedit *Calendarium* ecclesiasticum XII. Mensium recensens festos Ecclesiae orientalis ab Latina abjunctae Dies, docensque, quaenam Evangeliorum *Περιστοιαι* in singulis legi debeant.

LXXXIV.

Codex chartaceus flav. lingua R. 356 literali, Sec. XVII. Folior. 354. fol. max. iisdem literis, eodemque cultu magnificus, aliquantum tamen, licet junior, minus bene servatus, ejusdem rationis *Evangeliarium* est, in quo *Matthaeus* fol. 8. *Marcus* fol. 100. *Lucas* fol. 162. et *Johannes* fol. 263. orditur. Praecedentem in eo superat, quod ante singula Evangelia depictus Autor, et *Matthaeus* quidem membranam aptans, *Marcus* scriptam examinans, *Lucas* scribens, *Johannes* vero dictans exhibetur. Adest sub finem *Calendarium*, ut supra. Fata hujus Codicis gemino loco enarrantur; primo quidem fol. 354. p. 2. *Monachiam* (sic) *Mariam* eum scribi, argento et auro, quod pariter nunc evanuit, I ornari